
AEMILII
VEZOSII MEDICI,
AC
PHILOSOPHI ARRETINI
ORATIO
IN FVNERE MECAENATIS
Octauiani Arretini Perillustris Chiliarchi,

HABITA IN ARRETII CATHE-
DRALI AEDE
XII. KAL. APRIL. CIↃ IↃ CIX.



FLORENTIAE,
APVD IVNTAS. M. DC. VIIII.
Cum licentia Superiorum.

IN OBITU PERILLUSTRIS
Mecænatis Octauiani.

Mecænas, atauis Lucumonũ è Regibus ortus,
Deliciæ Augusti Cæsaris ille fuit:
Hic, Mæcenatis claro de sanguine cretus,
Gratus erat Ducibus, Principibusq; suis.
Notus vterq; fuit Belloq; Togaq; per Orbem,
Vatibus & viuens fauit vterq; bonis.
Arretini ambo: at Romæ iacet ille sepultus,
Hic Floræ pulchra conditus Vrbe iacet.

AEMILII VEZOSII MEDICI, AC PHILOSOPHI ARETINI

ORATIO IN FVNERE

Perillustris Chiliarchi Mecaenatis Octauiani Aretini.

SI quis vnquam, Viri Arretini, apud vos meruit in funere laudari, is profecto est hodierno die perillustris Chiliarchus Mecænas Octauianus, columen, & decus ciuitatis nostræ: nam fuit in omnibus quas aggressus est, rebus eximius, ac singularis: neque solum in toga, & pace, omni genere virtutis, sed in armis etiam, ac bello, aut scientia rei militaris, aut fortitudine animi, & corporis, longè superauit maiores nostros, quorum fama omnium voce, atque consensu celebratur. Verùm ex hoc loco, ad agendum amplissimo, & ad dicendum ornatissimo, propè superuacaneum esse iudico petere à vobis, vt me attente audiatis: Omnes enim eam habemus causam huc veniendi, vt viro in omnes officiosissimo, deq; ciuitate Arretina bene merito, extremum hoc quicquid est muneris iure persoluamus. Iucundus quidem sermo hic erit; quia breuis: vtilis etiam; quia non paucis, credo, stimulos addet, ad illã in terris calcandam virtutis viã,

quam ipse, dum in viuis esset, calcauit, ac suis pedibus triuit. Quod si Scipio Africanus, cùm illustrium virorum imagines intueretur, magnopere se ad virtutem incitari dicebat; quis erit obsecro tàm durus, aut ferreus, qui audiens praeclara Mecaenatis Octauiani facinora, & videns, in hac splendida cenotaphij mole, poeticas laudationes, Epitaphia, vexillaq; suspensa, quae ille Turcis, atque Haereticis eripuit; ad eum imitandum non statim inflammetur? non summis viribus nitatur? non toto pectore contendat? At in Mecaenate laudando quò me vertam anceps? aut vnde nam initium Sumam dicendi? An à patria, & genere? Minime quidem. Hoc sane faciendum esset; si apud Indas, aut Persas, non apud Aretinos verba facerem. Quanquam ego nullam esse puto nationem tàm barbaram, tàm peregrinam, tàm disiunctam, atque remotam à nobis quae Arretinorum nobilitatem, & antiquitatem ignoret. A Mecaena Castro Arretinorum, quod Marcaenam hodie vocant, veteres aui profecti sunt Mecaenatis nostri, eius tunc oppidi domini, ac Reguli. De Guittono autem, equite Hierosolimitano poeta celeberrimo Francisciq; Petrarcae in Musis doctore, & cœnobij Angelorum Florentiae conditore, nullus inficias ibit, huius illum familiae fuisse: cuius gentis alius etiam Guittonus, Sacrae Rotae Auditor egregius, apud Regem Christianissimum, Nicholai Quinti Summi Pontificis nomine, optima fuit legatione perfunctus. Tertius deniq; Guittonus Francisci Accolti Celeberrimi I. C. cognomento Aretini ex sorore nepos, nec non Petri

tri

tri Accolti S. R. Ecclesiae Cardinalis Amplissimi consobrinus in Pisano Gymnasio Ius ordinarium Canonicum summa cum laude professus est. Postremo, praeter Ioannem Contestabilem, quem vocant, familiarem Inuictissimi Ioannis Medicei proaui Serenissimi Domini nostri, haec familia quot habuit Militum Duces? quot Equites Hierosolimitanos, vt vetusta demonstrant insignia? Ex antiquissima igitur, & clarissima stirpe ortus est Mecaenas noster. Parentes habuit Optimos, & prudentissimos; Patrem quidem Felicem Octauianum sapientem, & ornatum ciuem, felicem reuera, tantoq; filio dignum; Matrem verò Bartholomaeam Mauriam Lectissimam, & ornatissimam foeminam. A quibus quidem adeò Sanctè, ac relligiosè educabatur, vt nihil ei placeret, quod aliqua ex parte turpe esse videretur. Hinc tenera ipsius aetas nō delicijs, atque indulgentia soluebatur, sed labore, ac seueritate firmata maximum in dies incrementum capiebat: neque in lusibus, ac iocis, sed in percipiendis ingenuis, ac liberalibus disciplinis tota consumebatur. Quoniam verò, vt ingenio memoriaq; pollebat, ita corporis viribus, ac robore praestabat, vbi primum per aetatem sapere incepit, cum litteris arma, & cum sapientia fortitudinem coniunxit: quare quotidie post labores scholasticos, militaribus studijs se exercuit, in tractandis armis, in iaciendis hastis, in equitando, ac digladiando Nouerat ingenuus adolescens, illud esse litterarum, & armorum vinculum, vt si coniuncta fuerint, expugnari non possint; sin disiuncta, vt vel litterae sine armis reperiantur, vel

arma sine litteris; paruo negocio superentur. In quo veterum poetarum prudentiam admirari soleo, qui Palladē Sapientiae deam armatam esse; & Appollinem Musarum Principem cum Marte belli praeside in Coelo coniūctum esse tradiderunt: Quod sapientes Aegyptiorum Sacerdotes mirabili hieroglyphico praemonstrare volentes, Mercurij effigiem duplicem fingebant, iuuenemq; iuxta senem collocabant: vt nobis significarent, eum, qui velit caeteris hominibus antecellere, oportere litteras cum armis, & sapientiam cum fortitudine habere coniunctam. Sic Alexander magnus in castris plurimum solebat lectitare: Julius Caesar, cum exercitu proficiscens, commentarios exarabat: Augustus, bello Mutinensi, legere in tentoriis, aut scribere volebat, quotidieq; declamare: & Theodosius die exercebatur in armis, nocte libris ad lucernam incumbebat. Ad horum igitur virorum exemplar fingebat se, ac formabat Mecaenas: ex quo multi Arretinorum patrum augurabantur, reliquae ipsius vitae prouentum vberrimum fore, ac felicissimum: vt enim herbescente segete futurae fruges apparent; ita ex tenerae aetatis initiis non dubia sequentis vitae coniectura ducitur. Quae eos opinio, & expectatio non fefellit: nam cùm domi suae instar cochleae diutius non posset inclusus delitescere, Romam primò, mox Venetias, atque Patauium se contulit: quibus in locis cùm explicaret diuitias ingenij sui; neque obscurum esset, in tanta virorum frequentia, & splendore tam illustre lumen Vrbis Arretinorum, breui tempore omnium ad se oculos, atquē ora conuertit:

uertit: aderat enim in Mecaenate, quamuis admodum adolescente, tanta benignitas, atque humanitas, vt Cardinales, Principes, & Clarissimos omnes viros in sui admirationem traheret. Patauij, in celeberrimo Italiae gymnasio, & in illa luce doctissimorum hominum, Vicerector vltro à Scholasticis eligitur, domumq; rediens, à Magno Hetruriae Duce Serenissimo in numerum illustrium Virorum, & Suorum Selectorum militum benignè recipitur: quae duae dignitates, vna litteraria, altera bellica aperte testantur; Eum ad vtranque laudem, tum vrbanam, tum militarem natum fuisse. Ac licet in Hetruria, atque in patria maximè splendidam potuisset vitam ducere, summaq; cum ipsius dignitate, atque vtilitate: vbi tamen audacissimus Iuuenis sensit, bello ardere Pannoniam, ac Daciam; magnis itineribus militatũ abiit vsque in inferiorem Mysiam, quam Valachiam appellant. Hic Mecaenas cùm multis in praeliis, atque incursionibus, tum praecipuè in illa difficili Arcis Georgiae expugnatione, non modò natura loci, sed praesidio etiam Turcarum munitissimae, robur, ac vires ostendit suas inuictas, atque indefessas. Nam plurimis vltro, citroq; datis, acceptisq; vulneribus, Arcem ipsam tandẽ, admotis schalis, primus ascendit; cumq; innumerabiles fere hostes trucidasset treis ab eis hastas eripuit. O factũ perpetuo dignum encomio. Tanti fuit, Auditores ornatissimi, Arcem hanc opera Mecaenatis nostri expugnare; quod facile deinde Sigismundus Bathorius totam illam prouinciam oppressit, inq; seruitutem redegit, ad repentinos,

tinos, ac crebros Turcarum impetus prohibendos maximè opportunam. Mira, & incredibilia fortasse hec vobis videbuntur: sed vera tamen sunt, & grauissimis Virorum testimoniis, & scriptis comprobantur. Ab hoc Principe Serenissimo cùm fortissimus Iuuenis, ornatus muneribus egregijs, onustusq; Spoliis opimis discessisset; statim in Pannoniam, atque Austriam transiit: vbi propugnando, & oppugnando, primùm apud Iauerinum, deinde apud Strigoniam, tam strenuè cum Turcis, fortiterq; dimicauit, tam multos etiam ex ipsis Orco dimisit, vt passim ab exercitu siue Turcarum, siue Christianorum terror Martis, & fulgur Belli nuncuparetur. Hinc bona cum Imperatoris Christianorum venia in Galliam profectus, idest in amplissimum campum bellicae virtutis; triennio sub Rege Christianissimo, inter primores equitum cataphractorum a latere meruit ascribi. Quo tempore tam egregiam pugnando operam nauauit, vt ab eodem rege torque aureo, & suo ipsius indumento militari publicè donaretur; mox & Chiliarchus, & Tribunus militum delectus quattuor millibus praeponeretur Peditum Italorum. Magnum profectò est, Viri Arretini, à Rege aliquo tum donari, tum honorari: maius à Rege Galliae, & Nauarrae Christianissimo haec accipere: sed longè maximum ab inuictissimo Regum Henrico quarto insigni Chiliarchatus, ac Tribunatus dignitate decorari. Delatus postea in eam partem Galliae, quam populi omnium fortissimi incolunt Belgae, nostri verò Flandriam vocant; illic, & conserendis manibus in acie, & singulari certamine saepius

pius

pius pugnando, quadriennio militans, tam praclarè, tam fortiter, tam animosè se gesſit, vt ab Andrea Cardinali Auſtrio, generali tunc Imperatore Copiarum regis Catholici benigne Suſceptus, aurea claue donatus, & inter Militiæ, & exercitus Conſiliarios relatus fuerit quæ dignitates ſanè amplisſimæ ſolis tribuuntur heroibus, atque principibus viris. Meritò autem tantus, & tam praclarus. Cardinalis Auſtrius tanto pere dilexit Mecænatem, tantisq; illum ornauit beneficijs: audierat enim cùm à multis alijs, tum præcipuè à Petro Toletano, Viro illuſtrisſimo ac Signifero generali, in eo pralio tam ſæuo, ac cruento, quod à Catholicis militibus commiſſum fuerat inter Oſtenden, ac Neuportum; Mecaenatem noſtrum in medium ſe ſe agmen conieciſſe, maximumq;, ac regium vexillum, tunc ab hoſtibus arreptum, magna cum virtute, ac fortitudine redemiſſe. O factum bene, atque praeclarè: Hic, Auditores, facere non poſſum, quin rem facta miram, & auditu iucundam vobis narrem. Cum in Gallia, vel in Fiādria Mecaenas pugnaret, inter armorum ſtrepitus, tubarumq; clangorem, ſuccisſiuis horis, non ſolum Educationem Principis Christiani, ſed actiones etiam omnes militares quibus interfuit, ornatè, ac diligenter conſcripſit. opera ſane elegantisſima, & pulcherrima: imitatus credo magnum illum Romanum, & Imperatorem Caeſarem, qui & ipſe pugnans in eadem prouincia, Res à ſe geſtas poſteritati commendauit. Quis hoc factum non ſuſpicia non admiretur? non pleno laudet ore? Mirandum igitur, mirandum non eſt, Viri Arretinis Si tanta, & tam

celebri Mecaenatis Octauiani fama illectus, atque adeo impulsus, Magnus Hetruriae Dux Ferdinandus, quem, vt ipsius dignitas postulat, honoris, & felicis memoriae gratia nomino, confestim ternis ad eum datis litteris, & magnis pro itinere faciendo oblatis muneribus, illum ad se reuocauit. Itaque reuersus in Italiam, summum Pontificem adiit, Clementem Octauum: à quo, in gratiam rerum à se bene gestarum, satis opimam Arretii, atque in hac Aede maiori, & cathedrali Dignitatem, quam Praeposituram vocant, pro Aemiliano fratre dignissimo, impetrauit. Ac licet ab eo potuisset longe maiora sperare, & obtinere: ea tamen fuit in Aemiliano moderatio animi, quod nunquam adduci potuit, vt Episcopale onus susciperet, tanquam Angelicis humeris formidandũ, quã uis id Rex Christianissimus studiosè curaret, Magnus Dux Serenissimus valde cuperet, Petrusq; Cardinalis Aldobrandinus offerret libentissimè. Quid enim Summus Pontifex gratificari non debeat Mecaenati, qui non solum, pro fide Christi propaganda, sanguinem saepius pro fudit; cumq; Turcis congressus, atque Haereticis, mille periculis caput obiectauit: sed orofugos etiam, ac perduelles Ecclesiae, magnisq; Pontificibus infensos acriter fuit insectatus? Mox ab Vrbe Roma Florentiam profectus Macenas, iterum à Serenissimo Hetruscorum Duce cum Excellentissimo Ioanne Mediceo missus fuit in Liburniã, siue Croatiam. Quo quidem in loco Ductor copiarum Hetruscarum ad inuadendam eo die Canissam electus; ab ea prouincia, graui sanè; ac periculosa, quam non suscipiendam

piendam

piendam consilium dedit; susceptam, sibiq; postea demandatam fortiter arripuit; vix, immo neuix quidem volebat diuelli, & abduci? quanquam anteriore corporis parte octo excepisset vulnera lethalia, ò virum strenuum, atque constantem. Possem hic munera egregia commemorare, quae Archiduces Austrae Serenissimi Ferdinandus, Matthyas, ac Leopoldus obtulerunt Mecaenati: Possem eorundem, & Excellentissimi Ioannis Medicei quasi communem vocem referre; cùm decem Mecaenatis similes optarent sibi, ad recuperandam Canissam id quod in Bello Troiano Agamemnonem Regem de Nestore dixisse Homerus testatur: sed reprimam me, & parcebo temporis angustiae. Igitur relictis exteris nationibus, ac prouinciis; non minorem Mecaenas laudem consecutus est in Tuscia, & apud suos. Etenim praefectus, & gubernator Oppidorum Sorani, Petiliani, ac Souanae, tanta in maximis periculis vsus est industria, ac vigilantia, quòd Magnus Hetruriae Dux beneficijs illum affecit singularibus; eiq; in patriam reuerso stipendium constituit, satis quidem amplum & honorificum Arretij quidnam Mecaenas boni attulerit, ac laudabilis, summis, mediis, infimisq; hominibus; non faciam, Viri Arretini, vt singillatim vobis commemorem. Dicant hoc Milites, quos inueteratis odiis, ac simultatibus inter se dissidentes auctoritate sua reconciliauit: dicant Ciues, quos in agendo, ac deliberando ancipites, & dubios sua prudentia cõfirmauit: dicant Coniuges quos à se inuicem disiunctos, atque abalienatos sua benignitate copulauit: dicant Pau-

peres, quos verentes quicquã petere ab aliquo, sua liberalitate fouit ac sustentauit: dicant demum Homines, quos penè profligatos ac perditos, aut precibus, aut monitis, aut exemplo suo in viam honestatis reduxit. Quis Cato vultu in delinquentes seuerior; Quis Aristides voluntate iustior? Quis Themistocles iudicio acrior? Quis Phocion oratione grauior? Quis Xenocrates victu temperantior? Quis Numa Pompilius omni actione relligiosior? Quanta in omnibus dictis, ac factis eius Constantia, Fides, & veritas? Titus quondam Vespasianus, ob summam modestiam, & humanitatem, amor, & deliciae generis humani à Romanis appellabatur: sed Macaenas Octauianus, ob insignem eius comitatem, & affabilitatem, amor, deliciae, salus, & vita hominum verius à nobis dici poterat. Incidit postremo tempus illud, quo ad cohonestandas Serenissimorum Principum nuptias Cosmi Medicei, & Mariae Magdalenae Austriacae; cum valde Ornato comitatu Florentiam aduolauit, Bone Deus; cùm Arretinorum ciuitas absentiam illius diutius ferre non possèt, qua tunc voluntate, qua significatione animi suum Mecaenatem expetebat? Quas tunc preces quotidie fundebat ad Deum; Quae tunc vota, pro felici eius reditu, nuncupabat? Ille verò Florentiae, à Leopoldo Archiduce Austriae serenissimo agnitus, summis & honoribus, & studiis augetur. At gratior in dies Cardinalibus, iucundior nostris & Principibus, & Magnis Ducibus, & amabilior toti populo Florentino, ecce grauissimo, & intolerabili calculi dolore corripitur, & acerbissi-

mè

mè torquetur. Quanta hic fuit eius constantia, patientia, & moderatio? Quantum in sufferendo morbo tam molesto, & tam graui Christiani animi robur? At demũ, vt hic quoque titulus honoris tanti viri laudes cumularet; cum Ferdinandus Magnus Hetruscorum Dux ex hac vita migraret, ferendo cadurco praeficitur Mecaenas, vnà cum principibus, & clarissimis viris. Quare non adhuc conualescens, nec dum planè confirmatus surgit è lectulo, ac nocturno tempore funus, ac pompam moestus prosequitur. Interim, coronato nouo Magno Duce Serenissimo Cosmo Secundo; cùm Mecaenas apud ipsum studeret quotidie magis patriam, ciues propinquos, & amicos suos iuuare; proh dolor? Septimo, & quadragesimo aetatis suae anno ab immatura, & acerba morte nobis eripitur. Heu nos miseri, & infelices, quanta de spe deiecti, ac deturbati sumus? Amisimus vnicum illud decus, quo nostra haec ciuitas alioqui miserrima gloriabatur. Amisimus Columen nostrum firmissimum, quo freta haec ætas, de laude, & gloria militari, cum antiquitate ipsa certabat ò spes fallaces, inanesq; cogitationes nostras: ò fortunam fragilem, ac caducam, quę nos in medio felicitatis cursu deseris, atque destituis. At missas faciamus lachrymas, & eiulationem parum virilem. Siquidem ipsum spectemus Mecænatem; gratulari ei Potius; quàm dolere debemus. Nam cum piè semper, ac christiani vixerit, nec minus religiosum virum, quàm fortem, & strenum in rebus gerendis prefetulerit, reiq; militaris gloriam Christianæ pietatis splendore maximopere illustrauerit, conie-

cturam

ctuuram piè facimus, illum patriam terrestrem cum cælesti, laborem cum quiete, mortalitatem cum immortalitate commutasse. Bonum quidem certamen certauit; cursum consumauit; fidem seruauit. Aut ergo iam coronauit eũ Deus: aut breui, vestris etiam Sacerdotes optimi, totiusq; Ecclesiae precibus adductus, in Coelo coronabit; non quidem murali corona, quam meritus fuit in Mysia; non obsidionali, quam in Austria, & Croatia; non denique Castrensi, quam in Flandria: sed corona iustitiae, quam promisit ille diligentibus se. Nostra sanè condicio miserior est, & iactura grauior: de qua dicerem consolationem non inueniri, nisi, quod de Achillis hasta fabulantur poetae, animos idem sanaret nostros, qui vulnerauit. Mecaenas ipsum se se nobis abstulit moriens; at alios ex se restituit. Non plus vno admittur nobis, sed plus vno relinquitur. Mecaenatem Octauianum scimus suum obijsse: at duos Mecaenatis filios habemus, qui ad paternam gloriam magnis animis, summis viribus, & pari felicitate religioso Patruo duce conspirant. Et quemadmodum bonus agricola non magnopere solet dolere, cùm perdit arborem; si habet ex illa surculos, vel arbusculas, quas in matris locum sufficere possit: ita moderatè nobis ferendum est; quòd vnum amisimus Mecaenatem, qui duos, ad nos consolandos, spei nostræ reliquit filios, Ferrandum, ac Felicem Octauianos, & ex se genitos, & sui simillimos: ad quos quidem, vt patris gloriae haereditas, ita & factorum ipsius imitatio pertinebit. Dixi.

FINIS.

Ego Petrus Paulus Bonsius Canonicus Florentinus perlegi hanc orationem, nihilque in-veni que sacræ ac catholicæ fidei aduersit. In quorum fidem, &c.
Datam Florentiæ die 29. Martij. 1609.

Attenta relatione præmissa Facultatem impertinuit hanc oratem imprimendi Florentiæ ordinibus consuetis prius seruatis Die prima Aprilis 1609.

Petrus Niccolinus Vic. Gen. Flor.

Frater Cornelius Fiorentinus Inquisitor 3. Aprilis. 1609.

Frater Vincentius Ciuitella vidit ex commissionem superiorum.

MC